306

DISCVRSVS APOLOGETICVS

SAPIENTIÆ VINDEX.

HABITVS

IN SCHOLIS SOCIETATIS IESV FVNDATIS in Collegio SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

PRÆSENTE

Excellentiss.° D. D. Duce

DE ALBVRQVERQVE PRINCIPE, SVPRA OMNEM commendationem maiore; extra omnem aleam maximo, intra omnem sphęram plausibili,& admirabili.

ORAVIT, QVI ORNAVIT,

PATER ANTONIVS DE RIBADENEYRA SOCIETATIS IESV.

MEXICI DE SVPERIORVM LICENCIA

Ex Typographia Ioannis Ruyz. Anno 1653.

DISCVRSVS APOLOGETICVS

SAPIENTIÆ VINDEX.

HABITVS

IN SCHOLIS SOCIETATIS IESV FVNDATIS
in Collegio SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

PRÆSENTE

Excellentiss. D. D. Duce

DE ALBVRQVERQVE PRINCIPE, SVPRA OMNEM
commendationem maiore; extra omnem aleam maximo,
intra omnem sphæram plausibili, & admirabili.

ORAVIT, QVI ORNAVIT,

PATER ANTONIVS DE RIBADENEYRA
SOCIETATIS IESV.

MEXICI DE SVPERIORVM LICENCIA

Ex Typographia Ioannis Ruyz. Anno 1655.

CENSVRA

Sapientissimi D. D. Don FRANCISCI DE SILES, THEOLOGIÆ insignibus infulati, ac Vespertinę eiusdem facultatis olim moderatoris, semper Magistri, in illustrissimo Mexicanę Ecclesię Capitulo ad illius concentum armonicum numerati, ò audiam aliquando pro meritis munerati.

E MANDATO ILLVStrissimi D. D. D. Petri de Barrientos Lomelin, huius Metropolitanę Ecclesię Choriarchę Dignissimi, Iudicis Vicarij Generalis, in hoc Mexicano Archiepiscopatu Sedevacante, Sanctę Cruciatę Cõmissarij Generalis, electi Episcopi de Guadiana, Apologeticon hocce pro studiorum instauratione publicè habitum à R. P. Antonio de Ribadeneyra, in Societatis IESV Collegio Philosophię Professore, iterata animi voluptate vidi; repetita, inquam, felicitate mea legi; ipsius quippe, authorem pridem in suggestu differentem acceperã, cuius miram iterũ, ac iterum edoctus apodosim, laconicam contemplatus syntomiam, suauissimamq́, quà apohthegmata decorantur, vocum vicinitatem intuitus [præter quam quod totam ipsam orationem adamussim expressum Ciceronianę facundię apographum emeritis etiam oratoribus vtile animaduerti] id vnum dicam nec maiorem infelici fortunato, inscio scilicet, infelicitatem euenire potuisse, quam quod ignorantię obturamentis occlusis auribus disertum ita Rhetorem non audierit; nec felici infortunato, sapienti inquam, clariorem suę felicitatis apodixim potuisse desiderari, quam quod ita dicentem oratorem acceperit: quare ne sapientes illi, qui tanto orante Magistro non adstitere, de suo infortunio maximo conquerantur, si quem audire nequierunt, saltem legere non mereantur equissimum iudicaui opus hoc fidei omnino consonum orthodoxę, prælo mandari, vt publicę luci deditum, noua ad luculentissimam oratoriam adipiscendam effulgeat lux, effulciat exemplar. Datum Mexici die 10. Decembris, Anno Dñi. 1653.

Doctor D. Franciscus de Siles.

CENSVRA P. FRANCISCI DE FLORENCIA SOCIETATIS IESV, THEOLOGI, ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRI, DE MANDATO R. P. DIDACI DE MOLINA MEXICEÆ PROVINCIÆ PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

O X, fateor, vbi priuatus arbiter pronis excepi auribus P. Antonium de Ribadeneyra ex noſtra Societate anni limen de more, & ſuo diſertiſsimè ſalutantem, non tàm probaui, quàm prębui me excitum inplauſus oratoris eloquentiſsimi; impulit dictio communi maior, impelleretq́, ſi nolluiſſe fas eſſet, nolentem volentem. Addere occaſio tulit, quandò proprior iuſſus accedere dictum ſuffragium, iubeor, (nec ſolum iuuat,) profari proferreq́ publicè, quam ſuperet diſſertatio hęc laudum Hyperbolen, quam ſublimem plauſibus ſe ſe ferat. Quidt optima quęque habent; mouent animos demiſſa per aures; valdius oculis ſubiecta fidelibus: habet etiam picturę ingenium, ſi bonę; procul inſpecta capit, magis, qui proprius adſtet. Ita me oppidò velut eminus accepta per aures tenuit probitas elocutionis audientem, comminus oculis explorata obtinuit ſpecies orationis morantem ſępius atq́ mirantem. Genus eſt ſtrenuè dicēdi culto ſermone concinnum, conſonum electà ſen en ià, vernanti paſsim ſtylo demulcens, & intentos animos crebrà, lepidaq́ reddens ab harmonia verborum; de induſtria prorſus & ſtudio oratoris, gnari quippe, id aptum natum voluptati, & doctrinę, iubente Horatio, ingenia poematum, orationumq́.

Horat. in arte. Poet.

in Arte.

Dulcia ſunto
& quòcunq́ volent animum auditoris agunto.

Non

Non me latet ſtructura dictionis aſſonę ſępè auribus, asribus ſępe conſonæ non ita ſcriptoribus frequens (ardua forſitan?) ob id non culpę, gratię tribuenda. Qui ſe doctus imitatur vnum, (nec facilè ferunt eloquentię Primores haberi ſecundi) licuit ſemperq́ licebit, ſignatum procudat ſtylum proprio charactere à communi diuiſum atque diuerſum; nec dixeris egregiè, deteriorem propterèa. O adſit diſertiſsimus hominũ Angelopolitianus pro Quintiliano prefator. *Si rectius inſpexerimus dicendi mutatum genus intelligemus, neque autem ſtatim deterius dixerimus quod diuerſum ſit: maior in eo cultus eſt, crebrior voluptas, multę ſententię multi flores, nulla iners ſtructura, nulli sẽſus tardi, omnino ſani & fortes, & lęti & alacres & pleni ſanguinis, atq́ coloris.* Neque horum, video, quid lector deſideret in ſtylo orationis, quam, qui ſapit probabit non tàm expręclarè inuentis, & magnificè enunciatis, habet certè; quam ex concinnè diſpoſitis, & appoſitè figuratis, quę gnarum interſtingunt ab ignaro oratorem Plinio Iuniore docente *Inuenire* *Lib.3.ep.13.* *pręclarè, enunciare magnificè, interdum etiam barbari ſolent, diſponere aptè, figurare variè, niſi eruditis negatum eſt.* Altera video & altera laude opus hocce florere. O eat in lucem famę plenum, & immortalitatis, Authoris & operis nomen! & promeferat Angelopolitianus cenſuram: *Nihil in toto opere non ſagaciſſimè inuentum, non prudentiſsimè diſpoſitum eſt; nullus non tentatus locus, atq́ excuſſus vnde voluptas eliceretur, elocutionis ornamenta tot, tantaq́ exponit! ita ſententijs grauis; verbis nitidus; figuris iucundus; translationibus magnificus, & ſuauiter reſonans vocibus eſſe ſtuduit, vt omnia illi compoſita ad famę pompam, omnia ad nominis celebritatem comparata eſſe videantur.* Subſcribo, & cenſeo dignum, quod typis mandetur. Mex. Die Menſe. Anno.

In pref. ad Quint.

In pręf. ad ſtatij ſyluas.

Franciſcus de Florencia.

PATRIS DIDACI DEL CASTILLO SOCIETATIS IESV, THEOLOGI, EMERITIQVE IN NOSTRIS SCHOLIS ELOQVENTIÆ PROFESSORIS.

DEMANDATO R. P. DIDACI DE MOLINA Mexicęę Prouinciæ Prępositi Prouincialis.

TTICAM ISTAM, SI non oculatus;auritus totus,& anhelus percepi panegyrim: oculorum sustinui patientèr aporiam mulcenti recreatus orantis lenocinio: hęsi (fateor) cum populo admiratione,& stupore defixus, vix respirabam, vt viuerem, qui viuere credebam perorantis spiritu: tantus erat in dicente lepos, sententiarum pondus,verborum lautities,& dignitas in stylo,transmarino, atquè adventitio cultu vernanti, periodis suis contortis, & comparatis, argutè blandienti, vafrè cauillanti,ambiguè suspendenti,suauitèr garrienti, seuerè tonanti,& vt ait Lyricus: toto terete, atquè rotundo. Nec mirum orator mentes suspendat in Cathedrà, quando animos devincit in pulpito; Tullius àd Clepsydram,Tertullianus àd exedram: vtraque enim facundia, sacra scilicèt, & profana, & si alioqui disita,affine tamèn concatenatione inter se se amicè confluit,in vnum conspirat, & vtraquè in Patre Antonio de Ribadeneyra graphicè,& luculentèr elucet: neque in Panegyri quid, quod offendat, offendi, encomium nisi omni suffragio maius, omni maiore acclamatione superius. Typis ergò (ò vellem aureis!) mandetur oratio, àd ęternitates duratura. Sic sentio in nostro Mexicanò Collegio. *Didacus del Castillo.*

DISCVRSVS APOLOGETICVS

SAPIENTIÆ VINDEX, INTRODVCTIO LEMMATIS, ET ADDVCTIO THEMATIS.

Vrata sunt annua elogia sapientię: iuraui ego potius veritati, quam vsui. Fateor debentur declamationes doctrinę; scio non exhibentur acclamationes sapientibus. Moris est eloquentię Summatibus felicitatum diuitem preconari sapientiam. Ita si meritum appendatur, & debitũ rependatur; sic est Doctrina sacrę fortunę lalarium, & diuę felicitatis sacrarium: at vbi titulus estimationis eminet ad fastigium, periculum demissionis imminet ad fastidium. Sapiens vigiliarum suffragio lucem habilitat, quam tamen debilitat inuidentia cauillositatis naufragio, vel vt meticuloso lateat abiectionis sub modio; vel vt abiecta deliteat splendoris in medio Erit ergo in presenti ab apparentię fuco vanitas criminanda, & experientię foco veritas discriminanda: ne dum negotij est, vt Mineruę pro felicitate adcisenda invocemus alumnos, pro Minerualis fallentia querulos prouocemus Felicem oratores concinnant & cincinnant sapientiam; ostendam bonum hoc abstractum ab esu; extractum ab vsu, contractum ad vmbram, & ad laruam redactum, & vt cingar, ostendam titulum sine re. Sanè felicitas est in vsu, nec vllus infortunatior illo, cui fortuna ridet ad nomen, & ad omen irridet; cui vt habeat ludit, & illudit vt fruatur. Adde vsus fortunę, vel in rerum nectitur possessione; vel in glorię vertitur amplitudine; nec alius pauperior, aut in glorior sapiente, qui vel despicit ne colat diuitias, vel ne colatur ipse,

des-

despicitur à plausuum bibulis impostoribus. Rursus, quis ętior, aut ditior idiota, penès quem sunt sine tędio tedę ardentes ad gloriam? sine labore lautitię inuitantes ad luxum? sine fatigatione luxus adstipulantes ad gaudia? Nonne sapientis merito inuicta abutitur ignorantia, & ignorantis titulo vtitur, vel inuita, sapientia? Non ne fortuna doctis denegat alimenta, & indoctis congregat incrementa? His totum decoquit patrimonium; illis vel laudis supprimit vadimonium: sciolis gerit facem, vt luceant: studentibus fęcem congerit, vt vilescant. Ergo & si sint sapientes fęlices merito, vsu sunt infęlices sapientes; & si glorioſi titulo, inglorij tutela. *Ergo erit sapiens fęlix infortunatus, & erit indoctus fortunatus infęlix.* Ita, Dynastę sapientię, ita: adeste precor attenti, & intenti, doctrinam tento de pereatis, sed ne pereatis conceptis spebus intento. Ad sapientiam vos convoco, sed per aspera, ad Mineruam vos invoco, sed per arida · non ad frondosas salices vmbra lenocinantes post iter, sed ad frontosas silices cilio lancinantes vos hortor, non ad dulces latices, sed ad calices amarulentos inuito: nil aliud est vos ad literarum metropolim inuitare. *Dabir* enim quę primo Iudicum *Cariath Sepher* id est *Ciuitas* dicitur *literarum*; siue vt alij: *Ciuitas literaturę, & disputationis* à sapientissimo nostro Serario vocatur: *Dabir vbrs spinarum, quod multę literarum spinę, seu molestię sint.* Fęlices eritis si sapiatis, sapietis tamen, si fęlicitatis renuntietis vsurę, vsuri numquam fęlicitate. Scio auditores argumentum dum pendatis, accusabitis paradoxi, sed si momenta expendatis rationum, scio excusabitis argumentum: audio cum Plutarcho asserente, *literas esse in quibus posita fęlicitas est* me vellicabitis, imo & vexillabitis cum eodem de victoria trophęum, nam à ditissimo Crasso de fęlicitate rogatus Britonem, Cleobim, ac Tellum obiecit, & si pauperes, quà pannosos, Crasso fęliciores, quà doctos. Aptè, quod enim in diuite onerant perituræ & animo imperaturę diuitię, honorant Philosophum duraturę, & menti pariturę delicię; Crasi superbę opes sunt sine ope conscientię; scientię opera sophus architectatur virtutes: ludit doctus fortunà; hęc illudit indocto, fęlicitas igitur, inquies, assidet, & residet in sapiente, insipienti insidet, & accidit

Iudic. cap. 1. Massius ibi P. Serar. ibi.

Plutarch. de Muset. glor. per arma.

Idem lib. de adulatione & amicitia

dit infortunium. Ergo male orationis exordio affigo insolens argumentum. *Sapiens est felix infortunatus, & indoctus est fortunatus infelix.*

Obiectioni, auditores, resisto & causę orationis insisto: debetur fortuna sapienti felici, & merito, & titulo, dum tamen debitum cauillose negatur, nugatur felicitas cum sapiente: despiciuntur Doctores, aspiciuntur indocti; his addit lenocinij cautela, quod illis adimit corruptella iustitię: non qui sunt æstimantur, sed habentur, qui existimantur, sapientes: plausus, cultus, & reuerentia, quę sunt hereditaria patrimonia Doctorum, & si in his legantur ad titulum, illis delegantur ad vsum: ergo sine crimine paradoxi compingēdi ędificij erexi bases, vices studentium habeo, aueo eorum ciulatibus satisfacere, & eorum voces mitigare. Defendam sine scrupulo, & quin offendam scopulo: *Sapiens est felix infortunatus, & indoctus fortunatus infelix.* Ad rem; rationes oro probetis, vt ap probetis rationes. Est itaq; sapiens felix infortunatus. &c. Quia.

§. I.

SAPIENS AB INSIPIENTE, IMO INCIpiente impugnatur, & oppugnatur; & dum doctus ab indocto aspicitur per audaciam, despicitur per audentiam.

Velleius. Iebat bellè Velleius. *Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nil alijs remittere.* Bene, & vere, cum enim pleno ore sibi nimis arroget ignorantia, in plano est, nimia irroget in sapientes. Argos infectio in alienos errores oculat, quos exoculat talpas in proprios affectio: deffectuum vortices in se paecat insciti; peccat sapiens, vel linguę lapsu exagerationis ad vertices: vix ab hoc vocis balbutie nutatur, cum notatur ad pondus; indocti enim, quę in se non seruant, in alijs obseruant, & linces iniquitatis vel momenta trutinant affectatę æquitatis ad lances: lapsus in se nescit insipiens, noscit sapiens, & cum hic quia magister prudenti moderatione dissimulat, insimulat magistrum discipulus ignorantię. En capiendi plausus sagacia nil aliud est quam carpendi Doctores audacia: sic in docti apud vulgus instabile expiscantur enco-

mia, & augurantur fęlicitatem, si literatorum despiciantur elogia. Et inde quid? Non ne plauditur infrunita loquentia, & continens exploditur eloquentia? sic indoctus fruitur opinione docentis, & doctus discentis opinione laborat. Sic dum magister constitutus in limite, timore frenatur virtutis, sciolus vix initiatus in limine tumore arrogantię effrenatur, & turgentię fastu doctrinę lumina, & Numina ab inferioribus despiciuntur. Scribebat Plutarchus: *Ex adolescentibus, qui ad Philosophiam applicuerunt animũ, qui maxime cassi sunt nec pondus habent, ferociunt, ac gestum, incessum, vultum, habent contemptus, fastidijq́ plenum omnium despicientis.* Sic degit in confiscato sapientia, apud inscios despecta, apud vulgus suspecta.

Plutarch. lib. quem ad modũ sentias.

At quibus, dices, armis dimicat, quę emicat, & imminet, quę eminet ignorantia? Inuidentię dum tabes scientiarum candidatos inficit, officit labes, & afficit lues: de se dum alta buccinat superbus ad famam ad infamiam infima blaterat de sapientibus; quia specie tenus induunt habitum Minerualem, humanos exuunt mores, & ferino ausu Mineruę alumnis obitum meditantur: nil grande in sapientię Summatibus non mediocre vellicant, nil in se ipsis mediocre, grande non venditant, sibi enim per piracterion vendicant, quod sapientes, per sudores vigilant. Versant frequenter vocem illam tessera fatuitatis cudendam, quam Dio, & Plato referunt inflatos buccinasse Sophistas, scilicet inquiunt: *Omnia nouimus.* O nimis officiosa ad arrogantiam elatio, & sat officiosa ad reatum delatio! omnia quidem nosti, sed nulla scisti; tota vagaris in omnibus, at versaris in nihilo, imo singulis aduersaris, & tamen fortunata, vulgaribus elogijs eueheris, quia arte machinosa in sapientes inueheris; de vento gaudes popularis rumoris, quia sic studentium meritum de popularis fallentijs: ad auram exultas, dum ad aurem, plebis in literatos insultas: honori es, quin sis oneri. & Doctori dum onus arripitur, honos eripitur; quod sudat ille, tibi cędit: studentes cum sint, non habentur fęlices; cum non sis fortunatus, putaris, illi suppuratur ad dedecus, quod tibi imputatur ad decus. Dic nobis precamur Cato Senior, cur tibi segnior contensiosa ęmulatione subsanat? *Ideo aiebat, sibi ab inimicis inuidiam conflari quod*

Idem.

Eras. Apocheg. lib. 5. num. 36.

quo-

quotidie, nocte surgens rei familiaris rationibus neglectis, reipublicæ consuleret. En cur felicissimus assecla philosophiæ ab insipientibus, imo incipientibus, impugnatur, & expugnatur; labores in illo, liuores suscitant in indocto; & quod sapiens vigilat meritorum ad facinus, aspicit ignorantia, acclamationum ad fascinum; nimis conantes indocti doctorum fortunis resistunt, & infortunijs insistunt. O stultos felices opinione, non re, similes estis inflatissimis Cyrenensibus, quibus & petentibus, & expetentibus recusauit leges concinnare Xenocrates, inquiens: *Per difficile esse condere leges tam felicibus*, vbi causam ad rem scholiat Erasmus: *Indicans eos non facile parere salubribus monitis, qui successu rerum elati, sibi videbantur felices.* Sane non erant, sed sibi videbantur felices, & dum se apparenti æstimatione pretiabant, vere fortunatos depretiabant meritorum obnubilatione; & sic dum de sagacitatis nundinis prosperos negociantur successus, & machinantur excessus, Doctores impugnant elate, & oppugnant superbe, & sapientes, qui felices, infortunantur, & fortunantur indocti, qui infelices. Rursus est sapiens infortunatus. quia, *Idem lib. 6. n. 18.*

§. 2.

INVIDENTIÆ LABE, ET MALEDICENTIÆ tabe, à scioli sigillantur, & sugillantur Doctores.

PVlchra est in inuidis, si materies aspiciatur electio, & ad melius si res inspiciatur allectio: dum zelo tangitur inuidentia, precioſi tingitur desiderio: fœda (sat hæc ingenita deformitate vilescunt) intacta transit, pertransit, animi amarulentia, vt pretiosiora curet, & obscuret pulchriora; ad hæc si armatas aconito applicet, & explicet manus, munus cogitat asportasse triumphale. Ad hæc quid non scioli inuidi meditantur? Quid non sagaces machinantur vulpeculæ? Nullis parcunt studijs, ne quid studiosis parcant. Videas hos inuidos sycophantas ex insita mordacitate gannientes, subtilia, singularia, exquisita, & diuturnis fatigationib⁹ adquisita à sapientiæ primoribus audientes, audētes per arrogantiā carpere, haud valentes per ignorantiam capere, sequuntur, & insequuntur alienam, quia furtim per contumelias propriam

assequuntur fortunam; sibi per duplicitatem plausus emunt, quos demunt literatis per vituperia, & qui vigiliarum non aguntur studijs, malevolentię anguntur stadijs. Dicam illos cum Horatio Archilocos, Hyponactes, qui adeo duobus inuiderunt pollitioribus statuarijs, vt ideo coacti sint propijs manibus inuitare suspendium, vt vel per necem posset inuidentię euitare dispendium, mitior ducitur mortis edacitas, quam inuidię mordacitas. Liuor est à natiuitate dentatus, & ex tunc de aliena calamitate diratus; mulier (nescio quę) Valeria nomine, dentibus viget à natiuitatis initio, & ominoso ciuitatem in quam delata fuerat vrget exitio: tales sunt procul dubio mordaces isti Therśites, & literivomi Timagines, qui imagines vel formosioris literaturę, per carpentiam obliterant, & commaculant, qui vel limpidioris fontis doctrinam turbant impresione nęvorum, & à communi ęstimatione deturbant. Smirnę audio speculum fuisse adeo ad mendicitatem pronum, & ad mendacitatem planum; adeo ad turpitudinem destinatum, & detornatum ad lippitudinem, vt nil in sede speciebus, & si valde formosum imprimeret, quod exprimeret non deforme, & quod non repręsentaret informe. Tales inuidos, & gloriolę vulgaris auidos, quis ibit inficias? ad deformia omnia reddenda specula sunt smirnęa, & lernęa spicula ad omnia transverueranda.

Horatius in Poeticis.

Apud. P. Tuso in Ecclesiast.

Hi sunt qui magistris dum per inuidiam detrahũt, attrahunt plebem per artificium: hi qui venena in sapientes stillant, cum nec vel stillas sapientię libauerint; hi qui quęstum mercantur in labris, cum in libris non habeant profectum; qui cum sua omnia timeant prava, probra in sapientes effutiunt, & infundunt opprobria: hi sunt (quia merito sapientibus impares) pares lapidi Chrysolampo, cuius ea est nativa inimicitia cum luce, & subdola amicitia cum tenebris, vt cum Sol luce splendorum polleat ad pompam, ille palleat vultus ad verecundiam, & è contra inauretur radiorum ad thalamum, cum Sol inauguratur splendorum ad tumulum. Tales vos inuidi sine dubio dum sapientum lumina tenebratis maledicentię fauillis, & inuidentię terebratis cauillis, lucem gaudentes emittitis; amittitis quoties alios cernitis fulgurare: tumultuatis in studentes,

dentes, vt eorum tumuletis splendescentiam: repitis humi,& hami expiscatu rapitis de detractione sublimitatem: plebi, nunquam non infimę, & infami semper reuerentes litamini, vt de aliena opinione triuiali acclamatione ditemini & tyrannica laniena lętemini: hac sigillatis infamię charactere Doctores; hac sugillatis amurulentię dicterijs sapientes: hac odio ardentes afficitis, per quos ad docibilitatem proficitis,& quia laborantium nō acceditis ad vigilias,machinose incessitis laborantes Quid quod Caius Valeriº Licinius in doctrinę Summates intestinis maleuolentię flammis arderet? Sane homūculus hic & rustico est patre natus, & satus pastoriciis incurijs, & situs ritu syluescentis in agro. Nil mirum tam inciuilis invadat,qui tam vilis euadit vel à cunabulis; nullum est tenebris cum luce commercium, & natiua inest monstris cum rationali creatura ferocitas.

Parcerem tamen his brutorum bellis,quia belluis potius est,quam parendum parcendum;per similes inuasiones terrentur,non teruntur sapientes, nec punguntur Doctores,dispunguntur hęc tela contempta: vbi iudicium assensum non erogat, calumnia non irrogat pręiudicium. Et ficax ad noscendum,& vix ignoscendum Mineruę Dynastis virus,quod aliorum (cute tenus argutorum, non cote acutorum) sapientium fundit,& infundit amarulentia: hoc virus verus est laborantium aculeus,& vetus studentium equuleus: apud hos ob inuidię efferuescentiam non meritum metitur effectus, sed demeritum mentitur affectus, ore venenato, vaniloquo, & multiloquo despiciunt exterius, quod introaspiciunt superioribus laudibus venerandum. Audite de pluribus inuidię sequacibus, quid vnus fecerit, & quid vnicus offecerit recognoscite. Iulianus ille Apostata cognomento, quia verę Religionis desertor, & assertor mentitę,lege,ex lege quidem indixit, ne christianis liceret Doctoribus humaniores literas profiteri, ne se ductos forsan ortodoxa dogmata cogerent confiteri: inuidebat tyrannus non solum naturę,sed animorum felicitati, & quia nostrates fictitias, & factitias suorum Numinum fabulas ostendebant, ille fibulas prętendebat, quibus eorum calami vincirentur. Pio tamen ausu, ac temeritate glorioſa Cyrus

Apolli-

Apollinaris per pollitiores libros, quibus induſtrie navauit, eius reſtitit obnitentię,& noſtrę adſtitit veritati. Libri hi à Catholicis Pontificibus Iuliano legantur, à quo animo peruicaci & maleuolo in ſcripta,& ſcriptores leguntur;ijdemq; codices,qui à noſtris Iuliano mittuntur,à Iuliano noſtris remittuntur hac nota: *legi, intellexi, reprobaui.* O vocem ſuperbię ventilabris inflatam,& odij dialectis affatam: legiſti quidem, vt videres; intellexiſti vt inuideres;reprobaſti,quia inuidiſti: ni tibi cum noſtris reſcribam Antiſtibus: *legiſti quidem ſed non intellexiſti, quia ſi intellixeſſes non reprobaſſes.* Pręualuit nihilominus in catholicos Doctores iactura, ex quo invaluit impoſtura Iuliani; male apud ſeductos audierunt,qui bene ſcripſerunt contra ſeductos; oraculum habebatur inuidus,alias literatus Apoſtata, cui in odium veritatis crediderunt, qui ad odium Religionis Catholicę ceciderunt, quibus tamen plaudendis manipulatim conſpirabat fortuna, cum pro explodendis ſapientię Dynaſtis, nil niſi infortunia infelicitas reſpiraret, vt eſſent re infelices, fortunati per proſpera; & per adverſa eſſent infortunati, felices, tabe, & labe inuidentię, & figillati ad infamiam, & ad dedecus ſugillati, in tantum vt.

Apud. P. Claudium Clement.in Muſęo.

§. 3.

SAPIENTES PER LIVORIS CAVILLOS, non ſolum habeantur in ſcientia mali Doctores, ſed peſſimi homines in conſcientia.

TOT auditis literatorum diſpendijs, putabitis (grauiſſimi candidati ſapientię) ligamur in limite: credite, verſamur in limine: dixi,quo venerit temeritatis invidia: dicendum, quo peruenerit invidentię temeritas, eò vt non ſolum ſtudentium hominum, ſcientia infametur, ſed vt diffametur conſcientia, eo cauillatur inuidentis aſtutia,vt & carminet ingenij, & criminet vitę opinionem, eò vt non ſolum inueniat peſsimum in cogitatis delectum,ſed turpiſsimum in operatis delictum,& fit,vt ſapientię ſequaces fęlices merito, adeo infortunentur per liuoris medullitus ſerpentis cauillos, vt non ſolum habeantur mali Doctores, ſed peſsimi homines.

Vulga.

Vulgarem de Epicuro sentẽtiam deprecor auditores, promatis, & prematis dein meum de hoc Philosopho paradygma. Ne silete plebeę buccinę, ne silete. Non ne apud vos Epicurus turpiter audit, quia deformiter audet? Non ne apud vos naturam exuit hominis, & induit suis? Non ne pro comperto habetis, Epicurum lebetis crapulis semper infarciratum, & gulę voluptatibis sarcinatum? Non ne appellatis belluam prę feritate carniuoram, & prę nimietate carnivoram? A rapacitate prę sensuum lenocinio leonem, & ab auiditate, prę appetitus laxamẽto lenonem? si hominem nominatis, at excordem, atq; vecordem, ventrem odorantem pro Deo, & cibos adorantem pro Numine, delicioſum, desidioſum, voluptuoſum, helluonem, delitias ad palatum coquentem, & diuitias concoquentem ad gustum; in his, & de his insumentem felicitatem & beatitudinem pręsumentem. Talis est Epicurus ob crassam vulgaritatem insipientibus, ob inuidiam sapientium, vulgaribus, errat in sciencia, & in conscientia delirat: malus doctor: homo peior, ò infęlicem opinione, ò infortunatum sapientem!

Epicuri inuidia & taminati, & carminati vobis virtutes pingam, & pangam contra inuidentię dicacitatem huic Philosopho Panegyrim, Is fuit Epicurus: qua homo equissimus, qua sapiens literatissimus: totus vigilijs impensus, totus libris expensus; non modo ob ventris indulgentiam laute discinctus, sed ad parcitatem ob abstinentiam lęte pręcinctus, vivebat non vt ederet gulosus ad crapulam, sed vt ingenij partus ederet glorioſus ad plausum, & vt adderet quotidianę virtuti suffragium: inter homines erat, non intra homines; semper discolor viuis, concolor mortuis, paucis ad vitam egebat, quia degebat paucis vitam; agebat de voluptate, non illa, quę dum appetitui seruit, sęuit in mores; non quę relaxat animos, sed constringit, & ad rationis normam, & equitatis formam adstringit. Explicat ipse suam apud Diogenem Laertium contra rodentes, & radentes sententiam, per hęc: *Cum dicimus* (fatur Epicurus) *voluptatem finem esse, non luxuriosorũ voluptates, easq; quę in gustu sunt positę, dicimus, vt quidam ignorantes, aut à nostra sententia dissidentes, aut male accipientes arbitrantur, sed non dolore corpore, animoq; tranquillum esse, & perturbatione vacare.* Et alibi idem; *Apud. Matiol. tom. 4.*

Sua-

Suauem gignit vitam ratio sobria. Rursus contra mordentium exprobationem exipite Annęi Siculi approbationem: *Egregia*
Annęas Siculus. (fatur Siculus) *Epicuri dicta commemoro, vt isti, qui ad illam confugiunt spe mala ducti, qui velamenta se suorum vitiorum habituros esse existimant, probent, quocunque ierint, honeste esse viuendum: cum adierint ista, audient hortulos, & inscriptum hortulis, hospes hic bene manebis. Hic summum bonum voluptas est; paratus erit istius Domicilij custos, hospitalis humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large administrabit. Et dicet hic, quid bene acceptus es? Non irritant, inquit, hi hortuli famem, sed extinguunt; non minorem ipsis potionibus sitim faciunt, sed naturali, & gratuito remedio sedant.* Hęc apud Siculum Epicurus: quid decentius ad factum? & quid ducentius ad fatum? Quid conformius ad verum? & quid vniformius ad virum? Non ne hęc satius, & citius iuuāt ad cudendum, & condendū, & hominem & Philosophum sobrium? ebrium dixerim, qui negauerit, sed ò cladem! negarunt non pauci; & continentissimum Mecęnatem Doctrinę, imo & virtutis amasium probris, & opprobijs deturpa erunt: & parcitatis regulatissimum æquilibrium, verterunt in ludibrium voracitatis, ac virtutis exemplar, in despicabile, & suspicabile deformitatis exemplum, vt serpente inuidię veneno fęliciſsimus Epicurus, quà homo, quà sapiens, & quà æquus, adeo à fęlicitate declinet, vt vulgariter censeatur, & in scientia prauus, & reprobus in conscientia, malus sapiens: peior sophus; homo pessimus, & vnde tanta lues? Sane insane de illo sentiebant, qui eius literis inuiderunt, & ex quo viderunt in vniuersis facultatibus eminere, inceperunt ingenij facultatibus imminere, factique virtutis accusatores, & insidiantes fortunę, adepti sunt per inuidentiam ad vsum, quod ille adeptus fuerat per eminentiam ad meritum: infęlices, quia inscij, sic fortunantur, sic infortunantur fęlices, quia docti, vt verum sit à limine, in limite, *Sapiens est fęlix infortunatus; in doctus est fortunatus infelix.*

Synesius. Sapientium (Excellentissime Princeps) egi causas, & (vt cum Synesio concludam) *Decertatum est pro Musis contra inerudditos, qui malitiosè declinant crimen ruditatis, & imperitię, dum confugiunt ad vituperia eorum, quę ignorant.* E orado Señor por los Sabios

bios contra los inorantes: à estos les è dicho verdades; desengaños à aquellos. E discurrido q̃ es el Sabio feliz sin fortuna, y que es el idiota con fortuna infeliz: que el necio es venturoso sin merito, y el Maestro es con meritos desgraciado, por que el inorante engaña con apariencias al vulgo, para grangearse los creditos, que vrtan sus emulaciones al Sabio; cundiendo el veneno de las envidias, no solo à quitar el lustre del saber àlos doctos, sino la opinion del buen viuir à los Sabios, para que crea el vulgo engañado, no solo que el letrado es corto en la ciencia, sino relajado en la vida. De que se sigue, que la fama, la aclamacion, y los puestos, que son patrimonio del Sabio, feliz por su merito, se allen por su astucia en el inorante infeliz, por su insuficiencia: y que goze este la dicha que no merece, mereciendo el Sabio la dicha de que no goza.

Esto es Señor verdad declarada, quando falta à los Sabios amparo, desde oy serà costunbre vencida, quando esperan en V. Ex. su asylo; calidad, es de los Principes del tamaño de V. Ex. como dar todo el esfuerzo, para gloria de lo valiente al azero, esforzar toda la gracia para aliento de la fatiga à lo sabio: y aunque esta Señor es como virtud general en los Principes, no se que especialidad la discurro en los Señores Principes de Alburquerque, quando leyendo en nro Sapientissimo P. Mendoza, quanto toca à los Señores vnir azeros, y libros, concluye el problema (si el para otros, yo con el para V. Ex.) *Adde Duces Alburquercios, qui altera manu gladios, altera libros historiarum gerebant.* à los Señores Duques de Alburquerque vna mano ocupaba el libro para saber, y otra el azero para triunfar, enseñaba su azero, lo que su saber defendia; grande aliento Señor para los que por estudiar se desvelan, el hallar en la grandeza de V. Ex. lo valiente para lo defendido, y para lo dichoso lo sabio. *P. Mendoz. Viridar. lib. 1. probl. 52.*

Macti ergo, Macti sub tanto Principe Amasij sapientiç, nec timete inuidentiç venena, nec expauete insidiantium, & insultantium cauillos; fortuna vestra sub tãto Domino dilatabitur, & ditabitur, & duratura sine dispendio, & ditatura sine compendio: vtemini deinceps vestra felicitate. Macti ideo, qui nũc incipitis quia felicitati instituemini: Macti, qui profecistis, quia restituemini felicitati. Orabam.

FINIS.

bios contra los inorantes: á estos les é dicho verdades, desengaños á aquellos. E discurrido q̃ es el Sabio feliz sin fortuna, y que es el idiota con fortuna infeliz: que el necio es venturoso sin merito, y el Maestro es con meritos desgraciado, por que el inorante engaña con apariencias al vulgo, para grangearse los creditos, que vrtan sus emulaciones al Sabio; cundiendo el veneno de las envidias, no solo á quitar el lustre del saber á los doctos, sino la opinion del buen viuir á los Sabios, para que crea el vulgo engañado, no solo que el letrado es corto en la ciencia, sino relajado en la vida. De que se sigue, que la fama, la aclamacion, y los puestos, que son patrimonio del Sabio, feliz por su merito, se allen por su astucia en el inorante infeliz, por su insuficiencia: y que goze este la dicha que no merece, mereciendo el Sabio la dicha de que no goza.

Esto es Señor verdad declarada, quando falta á los Sabios amparo, desde oy será costumbre vencida, quando esperan en V. Ex. su asylo; calidad, es de los Principes del tamaño de V. Ex. como dar todo el esfuerzo, para gloria de lo valiente al azero, esforzar toda la gracia para aliento de la fatiga á lo sabio: y aunque esta Señor es como virtud general en los Principes, no se que especialidad la discurro en los Señores Principes de Alburquerque, quando leyendo en nr̃o Sapientissimo P. Mendoza quanto toca á los Señores vnir azeros, y libros, concluye el problema (si el para otros, yo con el para V. Ex.) *Adde Duces Alburquercios, qui altera manu gladios, altera libros historiarum gerebant.* á los Señores Duques de Alburquerque vna mano ocupaba el libro para saber, y otra el azero para triunfar, enseñaba su azero, lo que su saber defendia; grande aliento Señor para los que por estudiar se desvelan, el hallar en la grandeza de V. Ex. lo valiente para lo defendido, y para lo dichoso lo sabio.

P. Mendoz. Viridar. lib. 1. probl. 52.

Masti ergo, Masti sub tanto Principe Amasij sapientiæ, nec timete inuidentiæ venena, nec expauete insidiantium, & insultantium cauillos; fortuna vestra sub tãto Domino dilatabitur, & ditabitur, & duratura sine dispendio, & ditatura sine compendio: vtemini deinceps vestra felicitate. Masti ideo, qui nũc incipitis quia felicitati instituemini: Masti, qui profecistis, quia restituemini felicitati. Oraham.